



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Septiceps Lvthervs, Vbiqve Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxonicam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De Bohemis, Hußitis, cap. 35.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

DE BOHEMIS

eiusdem potestatis. Et merito. Quid enim  
(inquit) vel ipsorum iudicio potest esse par  
huic impietati & blasphemiae? Quoties dein-  
de meminit honorifice Conciliorum in Reso-  
lutionibus suis? in Io. Eckium scribens, cum  
notatus esset, quod nihil teneret de Conciliis  
generalibus, ait, Hunc articulū non esse meū,  
credo (inquit) intelligit quicūque Resolutio-  
nes meas & Dialogum contra Sylvestrum le-

In Resolu-  
tione conclu-  
sionis 26.  
Contra ma-  
lignum Ec-  
cū indicij.

In lib. 1. cō-  
tra Zuin-  
glum &  
Oecolampa-  
dium.

gerit. Quādo id vnicē deploro ac gemo, nos  
dignos non esse, vt videamus legitimū Conci-  
lium. Et nunc tandem post longas Suermeri-  
tates vagāsque insanias, fatetur rursus contra  
Suermeros suos. Si diutius staterit mundus,  
iterum fore necessarium, propter diuersas scri-  
pturæ interpretationes, quæ nunc sunt vt ad  
conseruandam fidei unitatem Conciliorum  
Decreta recipiamus, atque ad ea configiamus.  
O virilem cuculli huius constantiam.

De Bohemis, Hussitis.

CAPVT XXXV.

IN disputatione Lipsica grauiter tulit Lu-  
therus, velut contumeliam, quod D. Io.  
Eckius insimulabat cum Bohemicæ factio-  
nis studiosum, & plane patronum, dicens ibi  
publicè coram omnibus, nunquam sibi placuif-  
se, neque in æternum placitum esse, quod-  
cunque Schisma inique faciūt Bohemi, quod

se autoritate propria separant à nostra vni-  
tate, etiam si ius diuinum pro eis staret, cum  
supremum ius diuinum sit charitas & vnitas  
spiritus. Itidem scripsit in Galatas suos ca- *In oōmenta*  
pite sexto, quod eorum dissidium nulla pos- *ad Gal.ca.6.*  
sit excusatione defendi, quin sit impium &  
omnibus Christi legibus contrarium. Et in  
Schedularios Stolpenses (vt eos vocat) scri-  
bens, ait. Verūm Bohemi, nolo, præsumant,  
nec rideant omnes, propter hos duos aut  
tres rudissimos Sycophantas. Sunt alij (in-  
quit) qui vnius speciei vsum suadeant me-  
lioribus documentis, quām isti fartores  
faciunt. Denique ad Nobilitatem Germa- *Ad nobili-*  
niæ prolixis ac tædiosis nugis consultat, mo- *tatem Ger-*  
dūmque præscribit, quomodo ad vnitati- *ma.ca.24.*  
tem Ecclesiæ, & in vnam fidem per Lega-  
tos nostros reducendi sint Bohemi. At pau- *In cap. Ba-*  
lo pōst, mutata sententia, sic è sublimi super. *byl.cap.de*  
biæ & furoris sui folio pronunciat in Baby- *Eucharist.*  
lone sua. Si vtri sunt Hæretici & Schisma-  
tici nominandi, non Bohemi, non Græci  
(quia Euangeliis nituntur) sed vos Roma-  
ni estis Hæretici & impij Schismatici. Et in  
Assertione Erraui (inquit) & hunc articulum *In Affertio-*  
reuocauī, & adhuc reuoco, in hoc quod dixi, *ne art. 30.*  
aliquos Articulos Ioannis Huſſ esse Euangeli-  
cos. Quare nūc sic dico. Non aliquos, sed om-  
nes articulos Ioannis Huſſ Constantiæ esse  
damnatos, ab Antichristo, & suis Apostolis, in

33

Synagoga illa Satanæ, ex celeratissimis Sophistis congregata. Et in faciem tuam ( inquit) sanctissime vicarie Dei tibi liberè dico , omnia damnata Ioannis Huss, esse Euangelica & Christiana, tua autem omnia prorsus impia & Diabolica. Hæc ibi. Nec his furiis & blasphemis contentus , maximè virulentum , & impium ac hostilem in Romanam Ecclesiam librum scripsit, postea ad Senatum Pragensem, sed parum gratiæ retulit. Si enim veniret Pragam, nihil certius ibi expectare posset, quam vtrices flamas & palum acutum. Nunc cogita tu (Illustriss. Princeps ) quam honorificum tibi futurum sit, vel apud Cæsaris Maiestatem, vel in generali Concilio , stare à parte Lutheri, quem & Hussitæ, & Pighardi quoque ac omnes Hæretici antiqui, rum & noui Suermeri sui reiiciunt & condemnant.

### De Pighardis Vvaldensibus.

#### CAPVT XXXVI.

*De decem  
præceptis  
cap. I.*

IN Hæreticos istos maximè Barbaros plætrunque inuestitus est Lutherus, antequam in profundum peccatorum venit. Sic enim scripsit in Declamationibus decem præceptorum. Verum (inquit) ne Pighardi, Hæretici infelices, suas partes à me adiutas confidant. Qui præ nimia ruditati nobis Theutonicis (superbissimo fastidio indignati) imponunt, quod